HOMILIARIUM

1. Hälfte 12. Jh. Seite 85r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26011
Copyright: Admont, Benediktinerstift

possit esse bene non quod fuerit. sed simpliciter dicendum est. multo melius non sub
sistere. quam male subsistere. **DOMINICA IN PALMIS. SERMO BEATI MAXIMI. DE PS. XXI.**

PSALMI VICESIMI PRIMI QUI LECTUS EST. SERIEM
decursuri diligenter prius debemus intendere. quid in superscriptione
contineat. ut cognita eius origine. intellegentiam ipsius facilius consequamur.
et manifestato capite. possint rectius membra distribui. Inscribitur
enim ita. In finem pro susceptione matutina. psalmus ipsi david. Nisi fal
lor susceptio matutina solis ortum semper antevenit. et priusquam orbem
radiorum clarus splendor illuminet. matutinum noctium tenebris terminum
ponit. ac resoluta sensim caliginum cecitate. rebus cunctis facies quedam
ac lumen infundit. et cum veluti sub una materia tenebrarum mundus in
confusione iacuerit. intuente matutino diversa specierum varietate
distinguit. Hoc est cum omnia ceca fuerint. oculi omnium reparantur.
Nox enim quodammodo aufert oculos mundo. aurora restituit. atque ita
ante matutina susceptione perfruimur. ut gloriosius postmodum solis splen
dore potiamur. Sed quoniam sicut dicit apostolus. lex spiritualis est. et spiritualibus spiritualia com
paranda sunt. solem hic iusticie arbitror designari. hoc est christum dominum.
qui nobis ignorantie tenebris. et peccatorum cecitate submersis. celestis
doctrine sue lumen infudit. et quos non habuimus oculos cordis inseruit.
et veluti radios quosdam apostolos suos misit. qui nos de nocte teterrima
delinquentie liberarent. et paulatim resolutis in nobis tenebris peccatorum matutina
susceptione consuescerent. ut perfecti facilius tolerare possimus solis ardorem.
hoc est primum nos preceptis simplicioribus erudirent. quo capaciores efficerent
celestium secretorum. Huius itaque solis iusticie matutino peccatorum caligo tota